

76. 6.  
1880  
50.  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE

P L I C A,

Bom  
Guden: Sopff,

QVAM  
DIRIGENTE DIVINO NUMINE,  
RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,  
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, PRÆNOBILI, AMPLIS-  
SIMO ATQVE CONSULTISSIMO,  
DOMINO

CHRISTOPH. IGNATIO  
DE GVDENVVS, J. V. D.

INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC  
CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGUNT. CONSIL. ECCLESIAST. EIVSDEM-  
QVE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO;

EX DECRETO ET CONSENSV GRATIOSÆ  
FACULTATIS MEDICÆ

IN ALMA AC PER-ANTIQA VNIVERSITATE ERFFORDIENSI,  
PRÆSIDE

DN. HIERONYMO Sudoiff/  
PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORE,

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNT. CONSIL. ET ARCHIATRO,  
FACULT. MEDICÆ ET PHILOS. ASSESSOR. ORDINARIO, n. n. CHTMIAE ET  
MATHEM. PROF. PUBL.

DOMINO PROMOTORE AC HOSPITE SVO LONGE CELEBERRIMO,  
PRO LICENTIA

SVM MOS IN ARTE MEDICA HONORES AC PRIVILEGIA DO-  
CTORALIA, MORE RITVQVE MAIORVM SOLENNI CONSEQVENDI,

ERVDITISSIMO DOCTORVM EXAMINI SVBJICIET

MICHAEL LÜTTCKE, Cussalino-Pomeranus,  
AUTOR ET RESPONDENS.

DIE XXVIII. JUNII ANNO MDCCXXIV.

ORIO MAIORI COLLEGII MAJORIS, HOR. CONSVET.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

Pathol. spec.

587/20

mbi juic. 2464

AD VIREM ILLVSTRI,  
*Per - Magnifico, Generoso, maximeque Strenuo*  
D O M I N O  
**JOANNI GODOFREDO  
ROESNERO,**

Incl. Reip. Thorun. Pro-Consuli & Magnifici Sena-  
tus h. t. Præsidi, & Proto-Scholarchæ  
longe meritissimo gravissimoque,

*Domino, Patrono, Mecænati, ac Promotori  
omni observantiæ cultu ad tumbam usque.  
prosequendo*

**hancce** qualemcunque Dissertationem Inaugu-  
ralem in devinctissimi animi argumentum,  
ulterioreque sui commendationem cum  
devotissimo omnigenæ prosperitatis voto  
**humillime offert & consecrat**

A. ET R.



SYNOPSIS HUIUS DISSERTATIONIS INAUGU-  
RALIS DE PLICA ET QUIDEM CAPITIS  
I. PATHOLOGICI.

§. I. *Plicæ Etymologia,*

§. II. *Homonymia.*

§. III. *Synonymia.*

§. IV. *Descriptio.*

§. V. *Sedes respectu Regionis mundanæ.*

§. VI. *Sedes respectu corporis humani.*

§. VII. *Causa immediata.*

§. VIII. *Causa mediata proxima.*

§. IX. *Causæ mediata remota.*

§. X. *In quantum res nonnaturales suum επιβάλλον μέρος contribuant.*

§. XI. *In quantum aqua in specie.*

§. XII. *Causæ mediata præternaturales.*

§. XIII. *An neglecta cultura inter causas remotas locum teneat?*

§. XIV. *An Veneficium?*

§. XV. *An Contagium?*

§. XVI. *Differentiæ.*

§. XVII. *Diagnosis.*

§. XVIII. *Prognosis.*

CAP. II. THERAPEVTICI.

§. I. *Plica est curabilis.*

§. II. *Curatio præservatoria Plicæ ex Fonte Chirurgico.*

§. III. *Curatio præservatoria ex Fonte Pharmaceutico*

1) *per debitam humoris morbifici præparationem.*

§. IV. 2) *per humoris morbifici eliminationem.*

§. V. 3) *per viscerum roborationem.*

§. VI. 4) *per symptomatum inmitiorum mitigationem.*

§. VII. *Curatio præservatoria Plicæ ex fonte dietetico.*

§. VIII. *Curatio curatoria Plicæ.*

§. IX. *Curatio curatoria Plicæ ex Fonte Chirurgico & quidem*

1) *per ejus abscissionem.*

§. X. 2) *Per ejus psyllothis & medicamentis factam remotionem.*

3) *Curatio curatoria Plicæ ex Fonte Dietetico.*

§. XI. *Curatio Extraordinaria Plicæ per transplantationem.*

A 2

CAPVT I.



## CAPVT I. PATHOLOGICVM.

### §. I.



**U**T ordine procedam, dicendum erit necesse prius de nomine, quam ipsam rem nomine involutam tractare aggrediar. Plica nimirum à plicando dicitur, plicare verò secundum quorundam sententiam à Græco πλέκειν, hoc est plectere,nectere, connectere, texere, contexere, deducitur, quos interest *Nicol. Perottus in Corn. Cop. lat. ling. col. 276.*

### §. II.

Duplici autem significato vocem substratam accipi notum est, vulgo enim Plica aliquem in vestibus, pannis, linteaminibus, similibusque rebus sulcum significat. Medicè verò sumptum hoc vocabulum certo cuidam morborum generi designando adhibetur, quod in pilorum complicatione mirabili consistit. Hoc loco significationem vulgarem negligendo medicam teneo, qua, vi jam dictorum, Plicæ nomen morbum desi-

designat, & eum quidem, qui contextu & conglutinatione pilorum, humorem quendam viscosum sudantium, absolvitur.

§. III.

Variis hic morbus insignitur nominibus: Plica dicitur Polonica, quia Polonis imprimis infesta esse dicitur, item capillitium intricatum, cirrorum conglutinatio, implicatio, intricatio, morbus, nec non tricæ capillorum. Germanica synonyma sunt: *Jüden-Zopff* / *Maaren-Kletten* / *Maaren-Flechten* / *Maaren-Locken* / *Maaren-Wirckung* / *Schröttleins-Zopff* / *Weichsel-Zopff* / *Wichsel-Zopff*, *Wechsel-Zopff* / *verwirter Haar-Zopff* / & si quæ sunt alia. Poloni, aut potius Lithuani, vernacula *Coltun* appellant.

§. IV.

Describi potest Plica, quod sit morbus, in pilorum corporis, imprimis capillorum, inviscatione & conglutinatione, imo & complicatione & intricatione consistens, à pilorum dictorum excrementis viscidis & glutinosis ortum trahens, & cum variis plerumque symptomatibus connexus.

§. V.

Quæritur hunc circa morbum, an sit Endemius necne? Non desunt enim, qui illam in Endemiorum numero esse censent, illique Poloniam, speciatim Lithuaniam, assignant Patriam, vide *Acta Wratisl. anni 1718. pag. 1755*. Alii tamen cautius loqui amantes morbum hunc populis quibusdam non absolutè endemium, sed ferè endemium pronunciant. Meam itaque si desideres sententiam, intrepidè subscribo ultimis, cum his nimirum statuens, Plicam adeo non esse morbum

Polonis Lithuanisque endemium, ut potius in diversis quoque à Polonia & Lithuania Regionibus quandoque observata sit, ac etiam nunc observetur. Nam & Hungaros item Russos à morbo hoc vexari compertum est, imo & in Germania non ignotum illum esse morbum, experientiâ, tum alienâ tum propriâ meâ, confirmare possum. Vidi quippe Jenæ, cum ibi Studii Medici causa, degerem, & sectioni Anatomicæ fœminæ cujusdam ab Excell. Dom. Doct. & Professor. Ordinar. Fickio peractæ interesssem, plicam fœminæ dictæ, quæ nunquam terram Polonicam attigit, caput deformare, quam etiam abscissam adhuc asservo in documentum Plicæ, aliis quoque nationibus, præter Polonicam, insidiantis. Plura exempla fœminarum Jenæ viventium affere, si liceret, paratus essem.

§. VI.

Sedem hujus morbi in corpore humano quod attingit, ibi eam occupat, ubi crines protruduntur, speciatim vero contingit in capillis, id quod nemo in dubium vocabit. Nonnunquam in crinibus sub axillis, teste Celeberrimo Dn. Doct. Vatero, in collegio practico suo M. S. item in pudendis progerminat, perhibentibus *Act. Wratisl. Anno 1718. Octobr. p. 1755.*

§. VII.

Pergo ad causam morbificam, quam dum in immediatam & mediatam dividere consueverunt Medici, de illa prius ut dicam necesse est. Est autem causa immediata Plicæ materia quædam viscosa & glutinosa, per sudorem in crines propulsa, & per illos exitum quærens, adeoque crines in eo statu, in quo eos inve-

nit,

nit, conglutinans. Hæc etiam sententia legitur in excerptis de Plica ex historia Wratifsl. Anni 1700. ab Honu-  
frio, Bonfigli tractatui suo de Plica Polonica annexis:  
Quicquid sit, de causa proxima Plicæ in aperto sane  
est, in hoc morbo magnam fieri congestionem, lentor-  
um ac viscidorum, ex diætæ erroribus natorum hu-  
morum ad caput, & eam utique ad hæmorrhagicam ten-  
dere excretionem. Hæc autem cum propter ipsius li-  
quidi conditionem & impedimenta, aliisque de cau-  
sis oriri nequeat, insigni infarctu humores illi circa ca-  
put restagnant, ac pars etiam in ipsis obhærescit ca-  
pillis, eosdemque mutuo agglutinat.

§. II. X.

Causarum mediatarum plures assignari queunt,  
proximæ nempe & remotæ. Proximarum vicem  
quodammodo obire possunt omnia illa, quæ massam  
fanguineam corrumpere valent. Corrupta autem se-  
cretio humorum vel qualitate, vel quantitate peccat.  
Hinc non potest non ulterius oriri succus nerveus de-  
pravatus, cujus depravationem in hoc morbo humo-  
rum lentorum viscidorumque causam proximam pro-  
priissime sic dictam non immerito statuendam esse du-  
co. Etenim crines in quibus Plica residet, secundum re-  
centiorum & accuratiorum Anatomicorum Hypotheses  
in nervis radican-*Confer Heisteri Compendium Anatom.*  
*§. 199. Tit. de orig.* Quod si ita habet, recrementa illa vi-  
scosa per pilos exsudantia non possunt non ex succo  
nervoso originem trahere, cui momentum adjicit non  
spernendum, in hoc affectu oculos observari lippientes,  
qui nervi optici læsionem & consequenter fluoris ner-  
vei illo contenti intemperiem manifeste arguunt.

§. IX.

## §. IX.

De remotis causis si quæstio instituatur, variæ huc referri solent, & Primum quidem locum merito occupant res, quas vocant, naturales; Inter eas est primo dispositio hæreditaria, quam in quibusdam subjectis inveniri non dubitandum est. Temperamentum quoque si phlegmatico-cholericum sit, symbolum suum ad morbum nostrum conferre, certissimum est. Imprimis phlegmaticis consuetum est, largiori, quam convenit, somno indulgere, eoque massam sanguineam vel, justo copiosiore procreare, vel etiam ad putredinem quandam disponere, quod ubi in corpore humano accidit, ulterius corruptioni fluidi nervosi fenestram aperit. Quod sexum attinet, sunt, qui sibi persuasum habent, fœmininum præ masculino in hunc morbum proniorem esse. Verum enim vero experientiam hic reclamare *Simon Schulzius, in Ephem. Germ.* testatur, qua de causa illud absolute verum esse nequit. De ætate etiam quæritur: annon una præ altera homines ad hunc morbum efficiat procliviores? Respondendum videtur, quod non. Observatum quippe fuit, omnis ferme ætatis homines morbo hoc laborare sed tamen cum discrimine. Ad res naturales denique, quæ Plicæ causæ remotæ existunt, etiam referunt nonnulli peculiarem cutis constitutionem, in parte capitis capillata, nec non fermenti in glandulis subcutaneis regionis dictæ, quod asserere non videtur absurdum. Hæc de rebus naturalibus.

## §. X.

Porro ad causas remotiores spectant etiam vulgo  
sic



sic dictæ res non naturales, quæ in quantum ad ma-  
 lum præsens aliquid conferre valeant, paucis mone-  
 re licebit: Aer nimium humidus, vel alio vitio labo-  
 rans, primum omnino accusandus est, cum notum  
 sit, quanta aeris in nostra corpora tum sana tum ægra  
 sit efficacia. Cibus multum alimenti præbens, aut a-  
 lias copiose sumptus, crassiusculus item, non adeo lau-  
 dabilem reddit chylum. Potus genera præcipua sunt,  
 vinum, mulsum, cerevisia & spiritus Vini vel fru-  
 menti, penes pauperes denique aqua. Dico igitur,  
 vinum generosum & meracum, generosum item, spi-  
 ritibusque abundans mulsum, cerevisiam porro cras-  
 sam spissiore, & multo lupulo conditam, spiritus de-  
 nique tum vini tum frumenti causam remotam Pli-  
 cæ existere posse, ubi in majori, quam fieri debebat,  
 ingurgitantur copia. De aqua deinceps dicemus fu-  
 sius. Motus & quies ubi excedunt, vel deficiunt, spe-  
 ciatim motus segnior & quies nimia, omnino suum  
 & hic contribuunt symbolum. Idem dicendum de  
 excernendis, quæ non debito tempore redduntur,  
 imprimis illis, qui illegitimæ diætæ debentur. Nec  
 inficias ire poterò, excessum in somno, ubi nempe  
 dies in noctem, noxque vicissim in diem convertitur,  
 morbo nostro ansam præbere posse. Ex animi deni-  
 que pathematibus inter remotas Plicæ causas referri  
 posse tristitiam, mœrorem, iram, &c. nullus dubito.

§. XI.

De Aqua ex instituto magis loqui promisi, eo,  
 quod hanc à non paucis accusari observem, Rejici-  
 unt nempe causam Plicæ imprimis in flumina, ex mon-

B

tibus

tibus Carpathicis Poloniam versus excurrentia, prout nec desunt, qui vocem *Wichsel-Zopff* / dictam putant quasi *Weichsel-Zopff* / hoc est crinium implicationem à *Vistula* fluvio natales trahentem. Verum enim vero hisce opponunt alii, & nos cum illis, ex hac quidem ratione, quia Fluviorum Polonicorum paucissimi ex jugis Carpathicis profiliunt, hique in mare nigrum illabentes vix extrema Poloniæ alluunt, certe fluvii regiones illas irrigantes, in quibus *Plica* imprimis endemia est, quales sunt *Lithuania* & *Russia rubra*, ex montibus dictis, originem vel planè non derivant, vel si derivant, regiones memoratas, nominatim *Russiam rubram*, solummodo stringunt, aliorum statim, prout dictum est, cursum dirigentes. *V. Act. Wratislav. Anno 1718. Octobr. pag. 1758. Conf. Bonfigl. de Plica Polonica, pag. 14.* in ipis etiam *Act.* citatis laudatum. Probabilius itaque est, aquas minerales sulphureas & oleosas, in regionibus istis reperiundas, genuinam morbi, quem jam excutimus, originem esse, id quod pluribus vicibus jam allegatus *Bonfigli* à pag. 14. usque 19. variis tum argumentis tum experimentis confirmare allaborat, ad quæ inspicienda lectorem benevolum brevitatis causa ablegatum volo. Inprimis fusius indolem aquarum Polonicarum indagat & ex observationibus à se institutis demonstrat, aquam bonitatis signa præ se ferentem in Polonia non dari, sed omnes potius aquas Polonicas oleosas, salsas, crassas inveniri.

§. XII.

Sedem profero ad res præternaturales, malum hoc inducentes roborantesque, Referuntur huc merito

rito

rito omnia morborum genera, quibus cum Plica quædam intercedit cognatio. Inprimis Medicorum Observationibus deprehensum est, eos, qui in Luem veneream propensi, illaque jam correpti sunt, facilius, quam reliquos, Plica infici, *annotante Cressio, loco citato, §. 13.* Similiter scorbutus malignitatis in Plica dominantis etiam quodammodo particeps habetur, unde & haud rarò, ille cum hac conjunctus est, & scorbutici facilè Plicam deportant, sed & Plicam ex vulnere capitis natam videre licet, *in Ephem. Germ. Decur. 2. An. 2. Obs. 1.*

§. XIII.

Sunt & qui ad causas remotas referunt capillos pectendi negligentiam, ad quam causam non pauci speciatim Plicam Polonicam probatissimam referunt. Non animus mihi enim est inquirere, utrum Poloni præ nationibus aliis in pectendis capillis negligentes atque sorditiei cuidam dediti sint, id tantum urgeo, hoc ad Plicam eorum, qui sanguine generoso nati sunt, non quadrare eo, quod nobilissima hæc natio avito more capite lævi incedere amet. Addendum, experientiam docere, eos, qui diligenti capillorum culturæ incubuerunt, nihilominus Plica correptos fuisse. Quemadmodum contra alii tum Poloni, tum exteri capillorum curam susque deque habentes, malum hoc feliciter evitarunt. Nec tacendum, Plicas sæpe ex improvise & vel intra unius noctis spatium oriri, quæ & similia argumenta à me jam prætermissa evincere puto, illos, qui cultum capillorum neglectum ex causis Plicæ eximunt, omnino rectius sentire.

B 2

§. XIV.

§. XIV.

Alii credunt morbum hunc veneficio deberi, unde procul dubio *Schenkius* occasionem cepit, Plicam tricas incuborum vocandi: Sane in *Excerptis de Plicæ à Bonfigli Tractatu suo subjectis* notabile hanc in rem occurrit exemplum, verbis sequentibus expositum: Ante seculum hic *Wratislavia* novimus, à Venefica quadam puerperæ, ex *Lochiorum* propter terrorem retentione, in peripnevmoniam & phthisin incidenti, per fascinum ita intricatos capillos, ut nullo postea modo extricari possent, donec vitam cum morte commutaret, eo quod anus opem auxiliumque suum ægræ afferens, à puerpera fuisset domo exclusa, teste *Rumbaumio apud laudatum Schenckium libr. 7. observ.* Additur ibidem, inter *Polonos* etiam non superstitiosos, veneficia hic suspecta habere. Verum enim vero sententia hæc apud eos, qui rationi magis, quam fabulis, locum dant, dudum explosa est; Cum Plicæ naturales allegari queant causæ, eaque, in aliis, præter *Poloniam*, regionibus laborantes, quamvis rariores, non tamen culpam ad veneficia rejiciant.

§. XV.

Nec desunt denique, qui, Plicæ causam explicare satagentes, ad contagium confugiant, quo spectat tum *Hercules Saxon in oper p. 806. cujus in excerptis de Plicæ Bonfigli tract. sequentibus p. 29. hæc adduntur verba: quispiam statim animo concipiet, Polonicam Plicam ex solo contagio, quotidie ampliorem fieri, &c. tum Auctor absurdorum virorum seu paradoxorum Medicorum, part. 2da pag. 28. qui tum in contagio, tum in minus recto re-*

rum

rum non naturalium usu causam Plicæ quærendam esse persuasum sibi habet. Nostrum super hac re iudicium si desideres, non audemus morbum hunc inter contagiosos referre. Talis enim si esset, non facile quis cum Plica affecto conversaretur, cuius tamen contrarium fieri, quotidie observare licet.

§. XVI.

Sequitur nunc distinctio Plicæ: Primo non inusitate distinguitur in masculam & fœmininam, fœminina totum ægri caput occupat, horribileque illud adspectu afficit, utpote quod non tam capillitio, quam pileo potius, aut mitra ex pilis meris constante, tectum apparet, quod Plicæ genus altero longe gravius habetur. Genus hoc adeo interdum excrescit, ut pallii instar in humeros propendeat, quale exemplum *Dn. Comor* in Polonia se observasse scribit. In Beschreibung des Königreichs Polen/pag. 788. Mascula ex cirris, his à sincipite, illis ab occipite propendentibus, constat, estque tum communior tum mitior. Magnitudo, sive extensio Plicæ posterioris generis interdum tanta est, ut ordinariam capillorum longitudinem longe excedat, indeque non raro Plicæ tam proluxæ suis inclusæ receptaculis (Haarbeutel) gestari debeant. Porro differt Plica habito ad symptomata & loca respectu. Etenim in Polonia, & huic finitimis regionibus, longe atrocior deprehenditur, quam in aliis, v. gr. Alsatia, Brisgaja, & si quæ sunt aliæ Germaniæ regiones, in quibus Plica innotuit. In his quippe indolens fere est, & periculo caret, utpote quam non pauci absque ullo, quod inde percipiant, incommodo ad finem vitæ usque circumgestant. Est & alia quædam Plicæ distinctio, qua

nimirum, & recte quidem distinguitur quoque in malignam & malignitate destitutam, utpote quæ distinctio super gradibus, quas Plica admittit, fundata est. Ratione subjecti est vel Polonica, Germanica, &c. ratione temporis à quo invaluit, vel inveterata, vel recens. Adde denique distinctionem in hæreditariam & accessoriam.

§. XVII.

Signa morbi cujusvis ut sunt vel diagnostica vel prognostica, ita & Plicæ. Diagnostica Plicæ signa rursus sunt vel imminentis vel præsentis. Imminentis itaque Plicæ signa diagnostica si desideres, pertinent huc omnes illæ molestiæ, quas ante quam Plica se ex-erit, ægri plerumque sustinere coguntur, v. gr. corporis enervatio, color cutis, præsertim vultus pallidus, lividusque, affectus arthritici, dolores omnium membrorum, inprimis acerbis artuum dolor, convulsiones, aut spasmi, tinnitus aurium, crebra ventristormina, ossium, tibiæ & fibulæ, humeri, & humeri & femoris incurvatio, articulorum nunc introrsum, nunc extrorsum facta inclinatio, totius spinæ intorsio, extrorsum, nunc dextrorsum, nunc sinistrorsum contingens, insultus febriles statim & contumaciores, ac antifebrilia medicamenta eludentes, delirium, inquietudo, vigiliæ, appetitus denegatus, timor, anxietas, contractura manuum & pedum, cæcitas, surditas, dolor capitis vehemens, vel totius vel partis ejus, furfurum ac pediculorum in capite generatio, ungues inprimis in pollicibus pedum scabri, longi, atroque colore notati, &c. Confer excerpta *de Plica Bonfigli*  
Tra-

*Tractatui plus simplici vice allegato, subjecta, pag. 25. 26.*  
*nec non Acta Wrat. Anno 1718. Octobr. 1759. sic & Dan.*  
*Boesii Dissertationem 1687. Jenæ habitam §. 7. Notan-*  
*dum vero, quod hæc & alia non omnia, nec semper,*  
*nec in singulis subjectis accidant, sed eos tantummo-*  
*do plerumque infestent, qui malo hoc graviter admo-*  
*dum affliguntur.*

§. XVIII.

Prognostica ut etiam attingam signa, sunt qui magno cum periculo malum hoc conjunctum esse asseverant. Id tamen de Plica Polonica & finitimarum gentium accipiendum esse reor, utpote, quod §o præcedenti, jam annotavi, Germanica multum atrocior, cum quod ibidem observavi, multi inveniantur, qui cirris absque damno per omnem vitam suam deformantur, eosque fovent potius, quam tollere student, firmiter persuasi, humores gravissimos capiti affectus inducentes per illos exitum quærere & sortiri, contra vero abscissis illis mortem accelerari. Quid quod quibusdam etiam familiis in Polonia solenne est, ad ultimum usque vitæ terminum Plicas citra incommodum gestare, annotante *Daniele Boesio, specimine de Plica, §. 7.* Cæterum quamvis non adeo facile sit, Plicæ medelam afferre, & maxima hominum Plica affectorum portio ad extremum vitæ halitum usque affectui huic tenaci obnoxia manserit, facilius tamen recens, quam inveterata, & quæ jam altas agit radices, curationem admittit, ut & hic locum inveniat illud Ovidii:

*Prim.*

*Principiis obsta, sero medicina paratur,*

*Cum mala per longas invaluere moras.*

Hæreditaria quæ est Plica, omnem Medici conatum eludere solet.

## CAPUT II. THERAPEVTICUM.

### §. I.

**S**uperest, ut de curatione nunc quoque agam speciatim & generatim, ubi utrum curatio sit possibilis, non diu disputabo. Quotquot unquam audiui à Polonis (ita legitur in excerptis de *Plica tractatui Bonfigli affixis, pag. ultima*) qui uno ore testantur, quod Plica methodicam respuat curationem, & generosis auxiliis adhibitis magis irritetur. Sic tamen ad horum sententiam respondendum esset, quod non. Verum enim vero cum Dei misericordis benignitate ita egenis auxilii hominibus confuli experientia doceamur, ut nullus non morbus sua quoque habeat remedia, cur dubitem, solum Plicam exceptionem passam esse, nec ullis medicamentorum auxiliis expugnari, compescique unquam posse? Statuo ergo haud sine ratione, curari interdum posse Plicam, quanquam curatio non adeo procedat facile, sed perquam sæpius evadat difficilis, inprimis quæ in Plica sæviori & inveterata tentatur, prout ex communi eorum, qui de Plica hætenus scripserunt, omnium testimonio comprobatur, unanimiter quippe consentientium, morbum hunc tanta contumaciæ malignitate, contra optima quævis remedia illi opposita inniti, ut in cassum plerumque propinentur omnia. Interim tamen ut Medicum non decet aegrum  
auxi.



auxilium petentem ob affectus hujus inexpugnabilem fere crudelitatem illo destitutum relinquere : Ita in præsentiarum pro viribus brevem quandam curationis ideam delineare certe bonæ methodi leges postulant.

§. II.

Cura igitur eo dirigenda venit, ut fordes è corpore eliminentur, quod qua ratione institui debeat, distinctius nunc indicandum, tum quod curationem, quam vocant, præservatoriam, tum quod curatoriam attinet. Triplex autem à Medicis fons aditur, morbo alicui obviam ituris, chirurgicus, pharmaceuticus, diæteticus. Tentabo igitur, quid ex singulis horum fontium in Plicæ curatione præservatoria conveniat, quid minus, breviter evoluere. Ad fontem chirurgicum primo spectat, V. S. de qua *in excerptis de Plica, Bonfigli tractatui subnexis, pag. 27.* ita habetur: Longa docuit Polonos experientia, ingruente morbo, & signis quibusdam jam se se manifestantibus, institutam V. S. prorsus esse noxiam. Est tamen forte, ubi præmissis præmittendis V. S. locus concedi potest, si nempe æger dolore capitis vehementi afflictus, & plethoricus sit, nec virium labore defectu. Nec cauteria, vesicatoria & fonticulos esse de nihilo, morbo in primis recenti existente, firmiter mihi persuadeo. Præsertim vero lotionem capitis, decoctis ex Hb. aperientibus & emollientibus, ut sunt v. gr. Rec. Brancæ ursinæ, betonicæ, lupuli, Musci terrestris. q. v. decoquantur in aqua fluviat. & lavetur caput: quem ultimum à medela, quam plurimis

C

Pli-

Plica laborantibus attulisse credunt Poloni (qui herbam eam appellare solent plicariam) suscipere commendo, ut hac ratione humorum peccantium ad capillos, quo tendunt, affluxus promoveatur, dum pororum aperture via, per quam meant, illis paratur. Eundem ad finem lixiviam quoque ex hb. incidentibus, emollientibus & cephalicis, moderato calore præditis, confecta faciunt, quibus capilli vel alii pili, per quos nempe materia vitiosa exitum quærit, laventur, lintaminibus postea calefactis siccandi. Nec inconveniens erit post lotionem pulverem aliquem cephalicum pilis modicè inspergere, ut humor viscosus, illos conglutinans, hac ratione quodammodo exsiccetur, v. g. Recipe Musci terrestriſ ʒʒ. Salviæ acutæ, Mari veri, Rosmarini, Calaminth. montan. aa. ʒj. Olei ligni Rhodini ʒj. Moschi ʒj. Ambraë gryfæ ʒʒ. Milce, fiat Pulvis ad inspergendum.

§. III.

Lustrare nunc licebit ad paratum, quem fons præbet pharmaceuticus. Quatuor hic potissimum, si *Cressium, dissertatione de Plica, §. XVI. p. 13.* sequi velim, observanda sunt:

- 1mo) debita humoris morbifici præparatio.
- 2do) ejusdem per epicrasin eliminatio.
- 3tio) viscerum roboratio.
- 4to) symptomatum immitiorum mitigatio.

Quæ breviter perstringere non gravabor. Ad primum finem consequendum, hoc est, debitam humoris morbifici præparationem præstandam faciunt absorbentia successive adhibita, me judice nunquam contemnen-

temnen-

temnenda, inprimis, cum insensibilis transpiratio promovetur. Talia sunt v. gr. Magnesia rubra Excell. Dn. Teichmeyeri cum Sale Tartari conjuncta, Oculi Cancrorum, Tartarus Vitriolatus, Lapis medicamentosus, aliaque ex Tartaro confecta Medicamenta, quæ per aliquot dierum intervallum mane aut vesperi hausta, humores viscosos sensim sensimque ad excretionem reddunt habiles.

§. IV.

Absolutam debito modo humoris morbifici præparationem excipere debet ejusdem per episcrasin suscipienda eliminatio, cui tum vomitoria, tum purgantia tum sudorifera, tum denique alterantia, symbolum suum afferunt; Pertinet huc suo modo curatio scorbuti & similium. Sunt qui vomitoria in affectu nostro rejiciunt, verentes, ne motu illo vehementiori humores viscosi in nervos aut viscera protrudantur, indeque sensuum organis damnum inferatur, & sensus ipsi tollantur, vel certe vitium contrahant. Verum timorem illum frustraneum esse, ex antecedentibus jam constat, supponimus enim humorem morbificum rite jam præparatum à M. S. jam secretum, & ad excretionem magna proclivitate tendentem. Ratio, cur vomitoria conducere non dubitem, est, quod iis humor peccans, in primis viis hærens expellatur, stomachusque à mole non parum sibi infesta liberetur, & fermentum vitiosum exulare jubeatur, quo ipso porro generationi fermenti novi laudabilisque occasio subministratur, & per consequens melior alimentorum fermentatio instituitur, multa in

totum corpus commoda diffundens, quemadmodum contra vitia coctionis primæ non emendantur in cæteris. Vomitoriis an succenturiari queant purgantia, strictiore significatione sic dicta, in utramque a Medicis partem disputari video. Sunt qui non commendant hæc sub primis morbi initiis & signis quibusdam jam jam se prodentibus, quos inter militat *Autor Excerptorum de Plica, cum Bonfigli tractatu conjunctorum*, in quibus pagina 27. observatum lego, experientia diuturna Polonis constare, cathartica, ingruente morbo propinata, damnum inferre, unde jam olim *Academia Zamosciensis Rector in Epistola ad Facultatem Medicam Patavinam de purgatione* ex vero ita scribit: Purgationibus usitatis, si Plicæ medearis, ægrelcit & exsuperat magis, quod noxios humores nequeat superare purgatio, sed commotos per totum corpus dispergat: Tanto enim dolore omnium deinceps membrorum hac affecti peste ardent, ut ad cruciatus acerbitatem nihil possit esse acrius. Præmissis tamen præmittendis, a nobis jam indicatis, tutius in subsidium vocari posse purgantia judico. Cæterum cum Plica laborantes cachexia quadam totius corporis infectos esse, non immerito credam, nec una vice sanguinis corrupti purgatio absolvi possit: Persuasum mihi est, eam adeo successive tentandam, prout & ægri vires & necessitas postulare videntur. Formulas hic certas præscribere non opus esse puto, utpote quas cuilibet veri nominis Medico, facile componere licet. Instar omnium pilulas quasdam purgantes ex croc. ♂ singulari modo ppto c. additamento aloes succoterinæ huic commendatum volo, Dixi & sudo.

dorifera juvare Plica affectos. Talia esse possunt  
 v. gr. Antimonium diaphoreticum, Arcanum du-  
 duplicatum, lapis bezoardicus Orientalis, Occidental.  
 Cornu Cervi philosophicum, Conchæ præparatæ, uni-  
 cornu fossile verum, Antimonium nativum, flores sul-  
 phuris, Sal Armoniacum, Absinthii, Cornu Cervi vo-  
 latile, Pulveres bezoardici omnes, Spiritus Cornu Cer-  
 vi, & succinatus, Tartari, Bezoardicus Buffii, Theria-  
 calis camphoratus, Electuarium diascord. Fracasto-  
 rii &c. §. V.

Tertium curationis præservatoriæ requisitum respicit  
 viscerum roborationem, medicament. viscerum tonum  
 naturalemque temperiem restaurantibus instituendam,  
 purgantibus etiam, de quorum usu jam præcedente §.  
 egimus, subinde interserendam, ubi tamen rursus for-  
 mularum communicatione supersedeo, apud Practicos  
 magno numero occurrentium. cum scopus præfens sit,  
 intra brevitatis cancellos, quantum fieri licet, me  
 modo continere. §. VI.

Ultimo symptomatum graviorum mitigationem  
 necessariam esse dico & duco, utpote quæ tanta non-  
 nunquam vehementia ægrum adoriuntur, ut illorum  
 fere magis quam ipsius morbi, cujus sunt symptomata,  
 ratio habenda esse videatur. Cum autem eorum cu-  
 ratio ex fontibus cuilibet propriis haud difficulter hau-  
 riri queat, non est, cur ex instituto eam prosequar,  
 cui dissertationem, non Tractatum, conscribere ani-  
 mus est. §. VII.

Aperiendus denique est fons diætereticus. In ge-  
 nere hic monendum, cavendum esse ægro, ne vitam  
 C 3 degat

degat intemperantem, omnique regularum salutarium ordine solutam, quam si cavere recuset, in eo curando oleum & operam perdet Medicus alias solertissimus: Speciatim aer non sit crassus & nebulosus, sed purus, non sit frigidus, sed temperatus, aut ad caliditatem siccitatemque paulo inclinans. Alimenta vitentur crassa viscidaque, nimis item acria & aromatica frequentius assumpta. Commemoratu hic digna accedunt verba *Anno 1718. Mense Octobr. ex Lithuania scripta, actisque Wratislav. eodem anno 8 mense pag. 1760. inserta.* Von dem Colturn noch weiter zu gedencken / so kan er nicht alle Speisen vertragen / uud muß man sich hüten vor Fischen / sonderlich Hecht-Fischen / auch vor Bartsch / im Geträncke aber vor Methe und starckem Brand-Wein: Den schlechten Brand-Wein aber können Sie vertragen. *Cæterum neque satiatio, neque inedia excedens bona, secundum effatum Hippocratis, sect. 2. aphor. 4. Motus inquietis, convenienti ratione institutus non insalubris est. Somnum vigiliisque quod attinet, inculco illud: Medium tenere beati. Ex animi pathematibus abesse jubeantur omnia vehementiora, nominatim ira, tristitiaque. Alvi studendum apertioni, quam ubi natura negat, ars efficere debet.*

§. VIII.

Tantum de curatione præservatoria Plicæ ingruentis methodi promissæ, nunc ratio postulat, ut de curatoria quoque, ad Plicam jam confirmatam spectante pauca quædam differem. Ubi tres usitati fontes, occasione curationis præservatoriæ jam aperti, rursus suo modo & mutatis mutandis auxilia præbebunt.

Imus

Imus autem hic adeundus est fons pharmaceuticus, generatimque, debita ratione applicanda superius jam tradita, ita tamen, ut ad peculiarem ægrorum constitutionem simul respectus habeatur. Alii quippe Luis indicia produnt venereæ, aliis scorbuticus corporis habitus est, alii denique alio cachexiæ vel cacochymiæ genere afficiuntur. Quacunque ratione corpus male affectum sit, eo omnem suam conferre operam debet Medicus, ut prius cacochymiæ vel cachexiæ genus, qua vexatur æger, abigat, quam ipsam Plicam adoria- tur, utpote suis illis præfidiis, loco non pulsus, vix ac ne vix quidem cessuram. Luis venereæ vestigiis se prodentibus, medicamenta mercurialia, lege artis præ- parata, recte in subsidium vocantur, speciatimque Sa- livatio Mercurialis v. gr. instar omnium, (nisi æger sit phthisicus &c.) fere commendanda, nisi impedi- mentum aliud quoddam obstet, quo minus hæc con- sulta videatur, id quod & circa usum quorumvis mer- curialium observandum. Nec denique decocta ligno- rum, rite præparata, sua laude privanda sunt, ubi æger scorbutico corporis habitui obnoxius est, quo spectant antiscorbutica medicamenta quævis, quæ ex suis re- petere sedibus nunc animus non est.

§. IX.

Post fontem pharmaceuticum an adeundus chi- rurgicus quoque, quæritur, ex quo tum Plicæ abscis- sione tum ejus psilotris mediantibus facta remotione succurri forte potest ægro. Videbo, quid de hisce re- mediis statuendum veniat. Abscissionem Plicæ quod concernit, prima, quæ circa eam movetur, quæstio est,

est, utrum ejus abscissio svadenda sit? Constans est Polonorum assertio, complicatorum pilorum resectionem non absque periculo fieri, multæque circumferuntur Historiæ de cœcitate, artuum dolore, infinitisque fere malis aliis, præcisionem pilorum insecutis. Strumæ cum aneurismate, supra costas spurias lateris sinistri ex abscissa Plica ortæ, exemplum legitur in *excerptis de Plica, Bonfigli tractatum comitantibus, pag. 26.* Verum enim vero distinctione hic opus esse censeo. Aliud est, Plicam improvide nec præmissis præmittendis abscindere, aliud est methodica curatione instituta & peractis ex bonæ medendi methodi legibus peragendis ad abscissionem se accingere: Illud si fiat, facile largior ambabus, malum priori pejus induci posse. De quo casu intelligo, quæ in *act. Wratislav. loco citato, p. 1756.* scribuntur, post abscissionem Plicæ ordinarie affectus arthriticos, insultus febriles, imo etiam visum læsum, cœcitatem, cephalalgiam, pectoris coarctationem, coryzam tussi concomitatam, vomitum, contracturas, tubercula, pustulas, &c. oriri. Etenim ubi temere & nondum purgato corpore abscinditur Plica, pori istius loci ab extrinseco aëre facile obstruuntur, humoresque, quorum hac ratione transfusio impeditur, ad alias partes necessario derivantur, variorumque sic malorum causæ evadunt. Ubi vero jam præmissa fuerunt universalialia, ubi corpus sufficienter fuerit purgatum, ubi denique benignior paulo fuerit affectus substratus, non video, quid obstet, quo minus ad abscissionem Plicæ Medicus progredi debeat, nisi, quod multoties fieri solet, explicari

cari



cari plane queat, quo in casu posterius eligendum, abscissionique præferendum. Non, inquam, video, quare abscissio omittenda esset, cum Plicas interdum, corpore rite purgato sua sponte decidere compertum sit. Quæritur secundo de instrumento, quo abscissio fieri debeat: sunt qui collisione lapidum acutorum Plicam resecant; sed nulla ratio est, cur lapidibus tantum, non vero etiam novaculis Plicarum resectio fieri debeat. Tertio denique hic monendum, post resectionem Plicæ caput sæpius fricandum esse linteis calidis vel abluendum decoctis jam dictis & aliis cephalicis.

§. X.

Cum vero sæpe facta abscissione nova cirri resultet progenies, quæstio emergit, an non tutius per psilothra Plicæ extirpentur, quam quocunque abscindantur instrumento? Et rectius sane sentire videntur, qui psilothrorum usum abscissioni anteferunt. Ratio est, quia sic pili radicitus evelluntur, una cum humore illo viscido, pilos, porosque cutis replente. Id tamen addendum psilothrorum usu ablato, munien- dos esse poros ab ambiente aëre frigidiori. Hinc ubi smegmate, vel lixivio conveniente, caput ægri ante purgatum est, cucuphæ vel sacculi cephalici utiliter applicari possunt. Quæ de diætâ hic addenda veniunt, eadem plane sunt cum illis, quæ jam supra curationem præservatoriam delineans tradidi, ad quam tractationem adeoque benevolum lectorem ablegatum volo.

D

§. XI.

Antequam tractationi meæ finem imponam, curationis cujusdam extraordinariæ vel tribus verbis mentionem injiciam. A fide dignis nimirum narratum accepit *Bonfigli loc. citat. p. 19.* asseverantibus, passim Judæos propriam Plicam abscissam in cerevisiam, crematum, aut mulsum infundere, & immundos liquores, aut hospitibus propinare, aut aliis vendere, putantes, Plicæ morbum ab ipsis in potatores derivari. Duæ hic oriuntur quæstiones; Imo an affectata hic transplantatio curationis effectu valeat? secundo an sit licita? Ad priorem respondeo quæstionem cum *Bonfiglio loc. citat.* certissimum esse contagiosam affectionem hoc modo in alios transfundi posse, sed non assevero, quod, ideo extirpetur in illis, unde procedit origo. Posteriores nego. Nemini enim licet malum suum in insontem transferre. Quæ in præsentiarum, pro specimine Inaugurali, modo sufficiant.

DEO SIT LAUS, HONOR ET GLORIA.

T A N T U M.



ADDI-

# A D D I T A M E N T A.

I.

**I**Nter alterantia renovativa primum sibi locum vendicant omnia viperina, sanguinem reliquosque humores optime temperantia, corrigentia, motumque innovantia.

II.

Ab his proxime sequuntur reliqua ex regno animali præparata: ut Ess. lumbr.  $\omega$  lumbric. & form. C. C. &c.

III.

Multa quoque eo fine non sine successu egregio adhibentur ex regno vegetabili æque ac minerali.

IV.

Exempli loco hic conveniunt: Ess. Fumar. lignor. item amaræ reliquæ ex trifolio fibrino, ligno colubrino, scord. card. bened. absynth.  $\ddagger$ ata, Rhabarbarina &c.

V.

Inter specifica in Plicæ curatione adhibenda merito recensetur Pulv. ad scrophulas Augustanorum.

✻ ( o ) ✻

**R**Egia quem quondam genuit Po-  
merania civem,  
Hunc fecit doctum Musa Salana  
virum;  
Hujus profectum vidit Geranus A-  
pollo  
Et lauro dignum censuit esse ca-  
put:  
Nunc alacris Michaël morborum vin-  
ce cohortes,  
Et palmis palmas addat ab axe  
Deus.

Ita

*Pereximio & dignissimo Medicinæ Doctorando ex  
intimo affectu gratulari, & prospera queque  
cordicitus apprecari voluit*

**JO. FRIDER. DEPRE,**

*Philosophiæ & Medicinæ Doctor,*

Eminentiss. Elect. Mogunt. Consil. & Archiatr.  
Anatom. Botan. & Chirurg. Profess. Publ.  
Facultatis Medicæ Assessor. Ordinar. nec  
non Civitat. Erfordiens. Senator.

